

nam Polydorus ego. hic confixum ferrea texit  
telorum seges et iaculis increvit acutis.'  
tum vero ancipiti mentem formidine pressus  
obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit.

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno  
infelix Priamus furtim mandarat alendum        50  
Threïcio regi, cum iam diffideret armis  
Dardaniae cinqique urbem obsidione videret.  
ille ut opes fractae Teucrum et Fortuna recessit,  
res Agamemnonias victriciaque arma secutus  
fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat et auro    55  
vi potitur — quid non mortalia pectora cogis  
auri sacra fames! — postquam pavor ossa reliquit,  
delectos populi ad proceres primumque parentem  
monstra deum refiero, et quae sit sententia posco.  
omnibus idem animus scelerata excedere terra,    60  
linqui pollutum hospitium et dare classibus austros.  
ergo instauramus Polydoro funus: et ingens  
aggeritur tumulo tellus; stant manibus arae  
caeruleis maestae vittis atraque cupresso,  
et circum Iliades crinem de more solutae;        65  
inferimus tepido spumantia cymbia lacte  
sanguinis et sacri pateras, animamque sepulcro  
condimus et magna supremum voce ciemus.

Inde ubi prima fides pelago, placataque venti  
dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,    70  
deducunt socii navis et litora complent.  
provehimur portu, terraeque urbesque reoedunt.  
sacra mari colitur medio gratissima tellus  
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo,  
quam pius arquitenens oras et litora circum        75  
errantem Mycono e celsa Gyaroque revinxit  
inmotamque coli dedit et contemnere ventos.  
huc feror, haec fessos tuto placidissima portu  
accipit. egressi veneramur Apollinis urbem.  
rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,    80  
vittis et sacra redimitus tempora lauro,